Domaniewski Stanisław Sol Sarmaticus obseruat...

SOL SARMATICVS OBSCVRATVS,

DVM

SERENISSIMVS ac POTENTISSIMVS

VLADISLAVS IV.

DEI GRATIA

REX POLONIÆ,

MAGNVS DVX LITHVANIÆ,
Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ,
Czerniechouiæ, Smolensciæque; necnon
Suecorum, Gotthorũ, Vandalorumq;
Hæreditarius REX.

Qui continuò & felici progressu Orbem Septemtrionalem illuminans, mortalitatis umbras ingressus, luminis sui Iubar nobis subduxit 20. Maij, Anno Domini, 1648.



CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij, S. R. M. Typographi, 1649.

IN ARMA
ILLVSTRISSIMÆ & ANTIQVISSIMÆ DOMVS.



Xeuxis Virgo feras frenis adiuta regebat,
Quam me laus frenat Virgo Polona feras.
Vrsam Virgo domat, frenos non passa domatur,
Sic merita tanta deuenerata fera est.

Franciscus Iosephus Cæsari
Stud: Poës.



Sol Sarmaticus obſcuratus.



IN hoc Orbis Naturalis ambitu, non inſolitum eſt mortalibus cernere, cùm Oculus ille Orbis pulcherrimus, Princeps ac Moderator omnium Planetarū ac ſiderum, qui ſplendoris ſui radios, quos benefico influxu in globum ſublunarem dirigit, efficitque, vt cuncta naturali in eſſe exiſtentia ſuum producant effectum, roburq; firmitatis retineant, ac conſeruent, dum ad minimum interuallum temporis ſolitæ claritatis ſuæ retrahit iubar, & offuſæ caliginis induit tenebras, quantas & quales in rerum vniuerſitate efficiat ac operetur viciſſitudines, quas inferat mortalibus calamitatum congeries, quæ denique inducat incrementa malorum, id verò luculentiùs profectò noſtro in Orbe Sarmatico intueri eſt. Ecce in ipſo Meridiei curſu, rerumque geſtarum gloriæ culmine ac faſtigio Sol noſter Poloniæ prouectus, qui vbique Terrarum, vbique Gentium, radios virtutum, gloriæ, fortunæ, ac triumphorum ſpargebat, qui nominis noſtri Lechici longè latèque famam propagabat ac dilatabat, qui fidei Chriſtianæ hoſtium Terror, Irreligioſæ Debellator Religionis, improborum Timor, Iuſtitiæ tenax Conſeruator, conſilij ac prudentiæ moderator, in omnes beneficiorum ſuorū munificentia profuſiſſimus liberaliſſima, totius Orbis Chriſtiani ornamentum, Spes & Anchora tutiſſima; omnium denique virtutum Heroïcarum, Bellicarum, Regalium imago, Orbis Chriſtiani Columna adamantina, verbo dicam, grande illud ſeculi ſui decus, derepentè omnium vota & expectationem confundens, tenebris mortalitatis obductus, eheu nobis lucere deſijt, Orbemque noſtrum luminis ſui claritate orbatum, quantò in mærore, quantò in gemitu, & graui perturbationis & timoris ſqualore dereliquit:

VLADISLAVS, inquam, QVARTVS omnium fælicissimus, Bellicosissimus, ac longè Potentissimus REX. Aduersa sors nos inuisit, post tam longam malatiam tranquillitatis & quietis, in quos Reipublicæ nostræ nauigium intruserit scopulos, quis licet offusis fletu oculis non cõspiciat? ô instabilis fortunæ rota, quæ motu volubili cuncta in gyrum trahendo, sursum ac deorsum voluendo, quid tandem stabile tuo collocabis in loco. En alea constantis in sua inconstantia fortunæ, quàm duram & infestam iecit tesseram, ex quo conijcere quid aliud possumus, nisi quæque aduersa perturbantia præsentem statum nostrum Reipublicæ? ô fallaces spes & curas hominum! ô quantum in rebus inane! ô fragilis & incerta potentia Sceptri, quæ sic illudis Summis Terrarum arbitris, & moderatoribus, vt cùm illi in summo fortunæ ac honorum apice se constitutos suspexerint, en quàm subitò præcipites in Vrnam è solio, & post lucem ac fulgorem suum nil nisi cinerem tristem relinquunt! Verùm quantas tenebras ex eiusmodi occasu Principum trahunt Regna, quanta inuoluuntur nocte, ac terroribus, quàm diuersorum consiliorum agitantur turbinibus, satis perspectum est multis. Vita enim Principum est veluti Solis æmula, constituta in excelso honoris loco, in omnes spargit æquanimiter, Clementiæ, Prudentiæ, ac Probitatis radios: eosque contra quosuis casuum impetus facit esse immunes. In contrarium sin secus acciderit calamitatem ingentem necesse est venire, cum virtutibus & fælicitate Principum metiantur vniuersa. Verùm enimuerò & nobis ea sors contigit ex obitu tanti Principis Victoriosissimi, Fælicissimi, Pacificatoris Orbis Maximi, tenebras meritò putarem incurrisse in Orbem Christianum, in nostrum multò magis Sarmaticum, vbi hic Sol stetit, ac sui cursus vltimam clausit periodum, tenebrasque per multas occasu suo inuexit doloris ac periculorum. Dolet ac luget vehementer Gens nostra Polona, fatis sibi ereptum Regem Maximum, cum quibusuis magnis Orbis Terrarum Monarchis præcellentibus comparandum, cui Polonia similes non multos vidit, visuram se in posterum tamen sperat. Luget Religio Catholica Athletam fortem, & sui Defensorem acerrimum; Lugent Summi Præsides Sacrorum, totusque Sacerdotalis Ordo suum Propugnatorem & Protectorem constantissimum: deplorant Familiæ Religionum,

retur. Verùm enimuerò cùm omnia humana & terrena tàm incerta ſint, & nihil reperiatur in hac communi exilij gleba, quod ſolidum ſit aut nō ſubiaceat viciſſitudinibus rerum, & temporum; quod non deijciat de ſuo loco & ſtatu aduerſa ſors, Regium genus, partæ maiorum gloriæ, virtutes, & dotes Regiæ, res geſtæ feliciter, & bellica præclara facinora, victoriæ deniq; maximæ ac triumphi, hæc ſunt quæ geſta eorum perpetuò Annalium monumentis conſecrant atq; dedicant, ingenteſq; trophæorum ac triumphorum moles exſtruunt erigúntq;, & ſeræ poſteritatis memoriæ tranſmittunt: hæc ſunt quæ ab omni obliuione humana illos vindicant, & eripiunt tantoperè, vt memoria illorum cum laudibus ſemper permaneat, fixæ tum animis hominū, quàm lucubrationibus publicis firmiter notatæ perpetuò viuant, & robur ſolidum ſuū retineant neceſſe eſt. Verùm mihi ingens offert ſeſe campus & materia demonſtrandi, quòd hic Sol lucidiſſimus, licet pro conditione ſortis humaæ vmbras ſit ingreſſus mortalitatis, radios tamen lucis ſuæ promouet, vel ex tumba qui ſunt generis, virtutis, famæ, fortunæ, rerumq; geſtarum gloriæ, triumphatorum deniq; maximorum altitudo, ac maximi Regni moderatiſſimum & pacificum regimen. Quæ omnia recenſita ſub vmbras viciſſitudinis humanæ cadere nequiuerunt, ſed lucis ſuæ magis emittunt acies, ex tenebr s fatorum ſeſe eleuant atq; explicant. Si itaq; genus Regium explanandum eſt, trinam Regis noſtri Inuictiſſimi Familiæ Regalis ſeriē, atq; Genealogiæ, producere gentis Ordinem Gotticam, nempè Auſtriacam atq; Sarmaticam, neceſſe eſt. Ex ea enim qualibet quid amplius & auguſtius intueri liceat, nam omnia admiratione digna in orbe conſpiciuntur, teſtes rerum geſtarum Annales Orbis. quid Gottica Gente antiquius, quid fortiùs, quid bellicoſiùs? Ex ea tot Reges Potentiſſimos Orbi formidabiles, Regis noſtri Potentiſſimi Atauos, Proauos, & Auos recenſere expedit, quorum potentiam & fortitudinem exhorruit Orbis Imperium Romanum, potentia eorum fractum & attritum. Auſtriacorum Gentem pro dignitate commendare quis præſumat, vt illam breui compendio percurrat? longa nimirum ſeries Romanorum Imperatorū Auguſtæ Auſtriacæ Domus; numeratur eorum gloria, fortunæ, triumphi, totum impleuerunt Orbem, & quidquid vſpiam Terrarum glorioſum apparet, Domui Auſtriacæ excellentiori titulo tribuitur, tum ob Auita Imperia, quæ Antipodas etiam comprehendunt, atque ob nexus ſummos cum quibuſuis maximi nominis Chriſtiani Monarchis contractos & coniunctos; vt etiam intra Terras deſierit locus captandæ & cō-

 parandæ

parandæ ei gloriæ, nominis Cælum ipſum ſibi cōiunxerunt, in quo Imperium fortiùs ſtabiliuerunt perennaturum, cùm Religionem Chriſtianā Catholicam, Nominis Diuini cultum vbiq; Terrarum propagando, cæleſte inde ſibi comparârunt Trophæum & Imperium. Sarmaticum verò genus admiratione potiùs quàm laude proſequi decet, quo nil ſub ſole videri poteſt antiquius, quod nec Romanum Imperium toti Orbi tremendum ac venerandum vnquam attriuerat, nec hāc gentem ſubijcere armis valuerat, magis illam vt amicam amare atq; tractare voluerat. Vnde Reges fortiſſimos, Bellicoſiſſimos, ſatis ſuperque rerum geſtarum Orbis Nomenclatores demonſtrant. Quorum potentiam & fortitudinem, hucuſque admiratur Orbis ex hac Gente clariſſima, Domus Iagellonia celeberrima Orbi recenſetur, quæ tot Reges magnanimos, fortes, potentes progenuerat, qui non ſolùm longa ſerie Poloniæ præfuerūt digniſſimè & vtiliter, verùmetiam Orbi vniuerſo Chrrſtiano profuerunt, & non tantùm in Politicis tractandis eximios ſeſe præſtiterūt, longè magis laudes humanas ac decora ſupergreſſi ſunt: cùm ſupra lunaribus ſe ſe inſeruerunt, ac incorporârunt Regnis. Nempè tantùm Solis Iubar ex eorum propagine prodierat, ſcilicet Diuus Caſimirus Iagellonides, quo augmento accedente honori Iagelloniadum, nihil eſt in Orbe terrarum, quod magis illos ſplendidos efficiat, ac commendabiles. Verùm tamen & vicina Regna, ex hac triumphali ſtirpe & Imperia ſibi depoſcebant, Regnū ſcilicet Vngariæ, quod olim pomum aureum, ob tantam rerum omnium exuberantiam & amplitudinem nuncupatum, VLADISLAOS duos atq; LVDOVICVM præfecerunt, qui quàm prudenter ac ſtrenuè laudabiliterq; hoc Regnum adminiſtrârunt domi foriſque, ſed quod maximum eſt nō ſolùm Reges ſapientiſſimos in gubernando Regno ſe demonſtrârunt, verùm etiam pro ſumma totius rei Chriſtianæ, victimam ſe in reprimendo Barbarorum impetu & incurſu, vt eum à Chriſtianitate arcerent, obtulerunt. Regnum Bohemiæ, cuius Imperium nacta Polonia, partemq; Germaniæ non attingo, quæ vltrò & libenter virtuti Iagelloniadum ſe ſubmiſerat propagini. At nexum Affinitatis, quem vltramarini etiā Reges ambire non vererentur, ac potiores Principes Orbis Chriſtiani; Tranſalpini verò Principes magnam acceſſionē honoris, & amplitudinis ac fortunæ, ex huiuſmodi communicatione affinitatis, multum ſibi gratulati ſunt. Rem paucis cōplectar, quidquid maximū, quidquid fæliciſſimum auguſtiſſimumq; id totum in Regis noſtri congeſtum Domum & Proſapiam. Vnde ex his tam auguſtis lumini-

luminibus hic tantus coáluit Sol, qui non ſolùm Orbem noſtrum Sarmaticum, verùm omnem Orbem terrarum illuminare ſufficiebat. Immortalis hac in parte, Regis noſtri ex tam ſublimi Natalium origine gloria proueniens, quam nullis ſeculis viciſsitudo, tum temporum, tum rerũ variabit, ſed illa per ſe integrè clareſcet perennabitq́ue. Verùm enimuerò, hic Magnanimus Rex non his luminibus contentus, aliud lumen copioſum & ingens prodere ſatagebat, tum ampliſſimis meritis in Eccleſiã, Patriam, tum deniq; Orbem Chriſtianum, quibus ſemper lucere contendebat, Orbe teſte vniuerſo; qui pueritiam apud Auguſtiſſimos Parentes, Regem SIGISMVNDVM III. glorioſæ & immortalis memoriæ, Reginamq́; ANNAM AVSTRIACAM, omnium genere virtutum cumulatiſſimam Heroinam, quam pia educatione, prudenti inſtitutione atq; eruditione Sereniſſimorum, vnà & Pientiſſimorum Parentum ſuorum opera tranſegit iuuentutem in Caſtris, tum Expeditionibus diuerſis Moſchouiticis, ſcilicet vbi prima Tyrocinij poſuerat fundamenta, quàm feliciſſimè illi ceſſerunt primordia, eius euentus fæliciſſimus cõprobauit, cùm Potentiſſimum Moſchorum Imperiũ eius poteſtati arduas ſubmiſit ceruices, Imperaroremq́; ſuum elegit, creauitq́; maneret; proculdubiò in eius obſequio, niſi viciſſitudo rerũ, quoniã aduerſæ ſæpè ex ipſis proſperis naſcũtur, aliam faciẽ rebus induxiſſet. Verùm vlterioris progreſſus ætatis, dum viriles attigerat annos, Sol hic maioris luminis producebat radios, tum Patriæ proſpiciendo, & illius gloriæ ſuccurrẽdo, tum deniq; illam à quibuſuis inſultibus hoſtium defendendo. Eruperat ingens pelagus formidabilis potentiæ Othomanicæ Orbi Chriſtiano, quòd ſæuis procellis ac tempeſtatibus, Cataractas ſibi obiectas euicit ac ſuſtulit, nempè exercitũ ad Cecoram conſtitutũ robur exercitus Poloniæ, vnà cum Ducibus militiæ miſerè proſtrauit ac deleuit, vno ſcilicet Duce belli ac Cãcellario Regni ZOLKIEVIO interempto, qui per multas occaſiones, de Patria varijs in Expeditionibus, optimè meritus, gloriam immortalem ſibi cõparauerat. Verùm quàm dura Sors obſtitit illi, qui gloriæ ſuæ ſegetem recondere intra Patriã ſatagebat, en in ipſo culmine & apice felicitatis ſenio quidem confectũ infauſta Sors oppreſſit, gloriamq́; eius turbauit. Altero vincto apud Barbaros dura in ſeruitute retẽto, exercitu toto deleto, quid vltra Patria ſperare potuerat, niſi vltimũ exterminium? Verùm non contentum hoc pelagus procellas ſuas extendere, & attingere Iſtrum & Tyram, totum Regnum immergere nitebatur, verum Summus rerum omnium Arbiter Deus, cui curæ ſunt humanæ ſortes, vltrà non permiſit,

furen


furentis huius Oceani superbos sæuire fluctus, opposuit Sãctæ memoriæ SIGISMVNDVM III. Poloniæ Regem Inuictissimum, ob res summas gestas nunquam satis laudandum, opposuit VLADISLAVM eius Filiũ, qui exercitui Polono tum tẽporis præsens aderat, vt murus aheneus, qui à Patria truces & innumeros arceret hostes. Obiecit illa præstãtissima duo belli fulmina, quibus innixa Patria, vltimã euasit ruinam, CAROLVM scilicet CHODKIEVICIVM, Palatinũ Vilneń. tunc belli Chotinensis Supremum Ducem, atq; STANISLAVM LVBOMIRSKI, Pocillatorẽ Regni, ad præsens Cracouiensem Palatinũ, cui Deus Opt: Max: vlteriores ad bonũ Patriæ proroget annos, eandemq; fælicitatem atq; animi magnitudinẽ in clarissima eius Sobole continuet. Opposuit & robur exercitus Poloniæ, qui feliciter represso hoste, has inundationes vlterius progredi non permiserunt, sed Dei ope ac sua prudentia, solertiq; opera, & constanti fortitudine effecerunt, vt ante Istrum & non vltra produceret tumentes fluctus suos. Hic Sol postquam tenebras & nebulas hostiles Othomanicas fortibus radijs repulerat, lucisq; suæ actulgoris acies in Christianum Orbem dirigere destinauerat, & nõ solùm in Patria videri, & clarescere desiderabat, verùm etiam externis beneficium luminis sui communicare voluit, ad Transalpinos properauit polos, vbi illas gentes plurimùm intuitũ luminis sui non solùm recreauit, verùmetiã in summã sui admiratione & amorem traxit. Sed primariò Vrbem Romanam, eiusq; summum non dicam Vrbis, sed Orbis Sacrorum Præsidem adijt, cuius multa in se beneuolentiæ, amoris, & officij argumenta expertus est. Quid totius Italiæ Principum fauores, populiq; vota ac desideria? quid publicas gratulationes, & applausus, sumptuososque apparatus ac spectacula? Solẽ sibi tũc exoriri visa est Italia, cuius luminis singulari beneficio, ne nebulis & tenebris Barbariei absorberetur, emersit, in suoq; lumine conseruata permansit, visitata Italia ad Bartauos hic idẽ Sol cursum direxit, ibidem sui splẽdoris cõmunicauit copiam, tam virtutis Heroicæ quàm bellicæ. Qui ibidem magnificentissimo perfunctus munere Supremi belli Ducis ac Directoris, in cuius cõspectu & præsentia Trophæa bellica peracta, fortunæ continuatæ sumpserunt possessionẽ, Regis Consobrini Hispaniarum phalanges, postquã in Orbem natiuum, quasi post liminio hic Sol iterum exortus, virtutibus dirigentibus sublimius ad destinatum festinauit progredi diuinitùs scopum. Merita enim Amplissima sit Patriæ testata, attamen maiora in dies sumpserunt incrementa, dum diuersis temporibus ea præstiterat. Sed occasionem satis iustam exhibuit

Pruthe-

gionum cœtus pauperum, ſuſpirijſq; vehementibus quantùm doleant & ingemiſcant, abundè declarant. Lugent Sereniſſimi Fratres, Domuſque tota Regalis, ereptum ſibi vnicum ornamentum ac decus; quod inuexit ac intulit gloriæ famæ, triumphorum ingenteſque virtutum cumulos in domum Regiam ſatis ſuperq; Orbi conſtat vniuerſo. Luget Sereniſſima REGINA noſtra, quòd tam præmaturè Sponſo deſideratiſſimo orbata, miram rerum Metamorphoſim & viciſſitudinem celeriùs agnouit, quàm aduertit; quantùm mæroris penetralia animi ipſius hic fatalis acinax ſauciet, nemo conijcit & conſequitur, ipſa meliùs quantùm illi deceſſit, videt ac perſpicit. Luget circulus Senatorius illuſtriſsimus, ablatam ſibi Coronam ingentis pretij, quæ illum permultum decorabat exornabatque, aſt modò quàm ſqualidam & mæſtam præferat doloris ſpeciem, videt qui videt. Luget præſtantiſſimus Equeſtris Ordo Regem ſibi deuinctiſſimum, vti obſequijs fidelibus, ita officijs, proſequi ſolitus, Reges ſuos, ipſiſque in omnibus parere, honorem, gloriam, opes, & quoſuis magnos conatus eorum promouere; inſuper omnibus expeditionibus bellicis ipſis adeſſe, pro illis vitam profundere, Victorias ac Imperia ſanguine proprio parare ſuetus, eundem in cineres illatum, quantùm lachrymis ſingultibus gemitibuſque deplorent, atratus color tam frequens, piaque in Regem ſuum vota ac deſideria palam teſtantur. Lugent Ciues, Coloni, Vrbes, Arces, Pagi, Regem ac Dominum ſuum pacificum, cuius ſub lento Imperio ſecurè, quietè, vitam agebant ſuam, nec erat qui pacem & tranquillitatem eorum perturbaret toto Regni ſui curriculo, verùm refloruerunt tam alta in pace conſtituti, refloruiſſent procul dubiò magis, ni tam dura & aduerſa fata ſorti ſuæ inuidiſſent. Luget ac gemit vniuerſa Reſpublica ſublatum Regem, Dominum, Parentem, vnicum præſidium, ſpem & anchoram firmã, cuius innixa humeris, quàm ſuauiter quieſcebat, quàm à nemine laceſſita, manens omnes fatorum ridebat minas, quàm dulce otiũ nacta aurea ſibi ſecula reuocata, ob tam altam pacem conſpiciebat. Magnus itaque omnes inuaſit dolor, ingens mæror, acerbus omnium mentes perſtrinxit mucro tam ſubitæ & inopinatæ mutationis. Tenebris igitur inuolutum quiuis cernere poteſt Orbem noſtrum Polonum, tum ob mærorem nimium, ex morte deſide-

ratiſſimi Principis conceptum, quàm ob depreſſam ſpem in tam arduo & intricabili ſtatu & ordine rerum. Luget tota Chriſtianitas Regem Socium rebus geſtis clariſsimum, armis potentiſsimum, in quo omnes ſpes ac fiducias repoſuerat: quem vnum opponere deſtinabat communi nominis Chriſtiani hoſti & Tyranno, quem vnicum liberatorem oppreſſorum Chriſtianorum iugo ſeruitutis fœdæ ac barbaræ grauiſſimo & intolerabili attritorum ſperabat & vouebat. Ecce nunc quanta mutatio, quàm longè alia verſa eſt ſors lugubris & funeſta, quæ ſic eluſit ſpes noſtras, atque damnauit tenebras. Itaque offuſas toti Orbi Chriſtiano quiſquis aduertat & admiretur, ex retractione radiorum tam alti Solis, feralis igitur caligo inuoluit omnia, is amarus caſus nunquam hactenus in Polonia viſus ſatis declarat, quid repoſitum erat in luce huius Solis: cùm inde & alia calamitas quaſi de nouo emergens exorta, cùm duo belli Duces magni totiuſque exercitus robur vltimam ſubierit ſtragem, atque penitùs deletus nouum in animis noſtris inflixit vulnus, dolendumque donec deleatur. Inſuper aduenit, ſi fatalis cenſendus eſt Orbi noſtro luctus, eò acerbior & funeſtior, quò inopinabilior, cùm Caſtra ingentia tot inſtructa militum cateruis & legionibus, vnde numeroſiſſimus & potentiſſimus conflatus exercitus, ad reprimendos quoſuis hoſtiles impetus non tantùm ſufficiens, verùm & ſuperabundans. Quem Patria, promptuarijs penè exhauſtis omnibus, atque contributionibus publicis in id collatis, ad tantum violentum non ſolùm ſiſtendum hoſtium incurſum, verùm etiam arcendum auertendumque, atque reſtituendam pacem Patriæ libenter armauerat, Caſtraque eadem tam numeroſa fortiū militum copia, atque permultis tormentis bellicis exquiſitiſſimis repleuerat, quæ etiam cuique potentiſſimo hoſtium opponenda, meritò penſanda erant. Sed ô pudor & dolor! quàm eiuſmodi ſua deluſa præconcepta ſpe, & fiducia forti fruſtrata nihil aliud retulit, niſi damnum inæſtimabile, multiſque annis imò ſeculis reſarcibile, atque ignominiam perpetuam tali facto comparatam contraxit. Cuius mentionem dilatare fuſiùs, tum ingens inflictum vulnus Patriæ (quod eam magis magiſque exaſperat) quàm ingenuus pudor vetat, dum ſe exarmatam vltròque deſertam Patria mæſtiſſima plorabunda & lamentabilis videt, atque omni ſeculo conque-

retur.



Illustrisſimo & Reuerendisſimo Dño,

D. NICOLAO ALBERTO DE OLEXOW GNIEWOSZ,

Dei, Sediſque Apoſtolicæ Gratiâ

EPISCOPO VLADISLAVIENSI, ET POMERANIÆ,

Domino & Mœcenati Clementiſſimo.



Olem Sarmaticum obſcuratum penna tenui adumbratum præſentandum Tibi cenſui, Antiſtes Illuſtriſſime & Reuerendiſſime, VLADISLAI, inquã, Magni Regis, cuius ingentis virtutis, & animi magnitudinis, ac rerum geſtarum luminis, Orbem Chriſtianum glorioſus illuſtrauit ſplendor. Et cùm tanti Herois res præclarè actas, quæ clarius luce ſolari ſplendent, circulumq; ambitus Orbis Chriſtiani fulgoris ſui claritate illuminant, nemo reperiri queat, qui ſummis laudum elogijs non cælo æquet, en multò magis noſter Sarmaticus Orbis, in cuius Polo hic exortus natiuus Sol, cuius propemodum operationis beneficio influentias ſalutares recepit, ad dilatandam Gentis noſtræ gloriam, ad proferendos ampliſſimos & vberrimos fructus felicitatis, quorum vti ſingulare in reconditorio gratitudinis reponere debet, & obſtricta eſt depoſitum. Nec ambigendum eſt, quòd intra Tui pectoris Sacrarium, huius Solis radius relucet Antiſtes Illuſtriſſime, cuius virtus tàm efficax, ac eiuſmodi extitit fæcunditatis, vt alios Soles ſibi ſimiles felici partu, & quadam fæcunditate progenerauerat ac produxerat: quidni Te Solis huius magni exiſtimem, accenſum fulgoribus alterum quaſi Solem, qui exorientibus virtutum Tuarum radijs, Soli huic Magno Te coniunxiſti, ſummis ac præclaris Tuis facinoribus, ac meritis ampliſſimis, in eam dudum lucis magnitndinem coáluiſti, vt Sol iure meritò nun cuperis & vociteris. Cùm igitur ampliſſimus mihi ſeſe offerat campus laudum quoq; Illuſtriſſimæ Celſitudinis Veſtræ concinandarum, ſi exordiendum eſt à Maiorum Tuorum propagine ampliſſima laudibus, & in Zodiaco noſtro Sarmatico, refulgent ingentia Antiquiſſimæ & Illuſtriſſimæ Gentis Rauitarum Lumina, ex quorum amplitudine Paternum præſtantiſſimum deducis genus, Maternum quoq; Antiquiſſimum & Auguſtum Comitum de Tęczyn Oſſoliniorum, Magnorum vtriuſq; Stirpis Illuſtriſſimorum Nominum ſplendeſcis decoribus, atq; ad

Auitam maximamq; eorum gloriam Tu quoque Tuam eximiam adiunxisti laudem, sicq; summis splendoribus fulgentem Spartam, quam hactenus nactus es, Tuis virtutibus & honorum dignitatibus amplificas & auges. Testes sunt virtutum vnà & meritorum Tuorum tot præstita & edita Argumenta, dum in Patria atque Curia eadem tanquam in Theatro Publico magnificè explicuisti, summo omnium applausu, nec Tuarum virtutum Patriæ circumambit circulus gloriam vltra illius metas progreditur, atq; luminis sui protendit iubar, attigitq; etiam vltra marinas regiones, vbi Legationis amplissimo munere functus, Patriæ nostræ auxisti decus, eiusdemq; extitisti magnum ornamentum. Redux felix in Patriam veniens, nullo in eam prætermisso testificationis officio amoris, quo omnibus in occasionibus eam prosequi non desinuisti, ingentibusq; meritis Tuis eam accumulasti, idcircò Serenissimorum Regum arbitrio, & æqua discussione præclarè factorum Tuorum præuia, ad munera Officiorum Amplissimorum admotus, primò Cancellariatum Serenissimæ Reginæ Cæciliæ Renatæ egregiè & pro voto gerens, post hac Summo Secretariatu Regni auctus, cuius Dignitatis Amplissimum munus strenuè atque cum dignitate Principis Regniq; vniuersi gloriosè gessisti, ad altiorem Dignitatis gradum per arduos virtutum progressus ascensum disponens, ad Altam Pontificalem & Senatoriam prouectus es Dignitatem, eiusq; functus honore, Optimi Præsulis, vigilantissimi Pastoris, Dignissimi Senatoris formam exprimens, altioris gradus honorum in Ecclesia & Republica Tibi præordinas, culmen vota omnium expleturus adæquatam virtutibus Tuis, idq; summam in Regno assequaris Dignitatem. Quocirca summa hæc Lux Illustrissimæ & Reuerendissimæ Celsitudinis Vestræ Opus hoc, mole quidem, exiguum, & inelaboratum, verùm animi affectu, & obsequio, disertum radijs suis illustret, illudq; aspectui publico Nominis sui splendore acceptiùs efficiat, quod optat atque precatur impensiùs

Illustrissimæ & Reuerendissimæ Celsitudinis Vestræ

Humillimus seruus & Cliens

STANISLAVS DOMANIEWSKI,
Canonicus Chijouiensis. fuit Jezuita

